



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus  
voluntate et providentia]

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

Art. I. Demonstratur in Deo esse perfectissimam libertatem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

potest. Nihil enim in fide & naturali ratione apertius, & manifestius, quam Deum habere libertatem; nihil in Theologia intricatius & occultius, quam modum, & naturam libertatis eius exponere. Utrumque tamen breviter in hac disputatione præstandum est, & existentia, ac quidditas divinæ libertatis, quâ brevitate & perspicuitate poterimus, explicanda sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

*Demonstratur in Deo esse perfectissimam libertatem.*

**A**ristoteles & quidam alij antiqui Philosophi, quorum meminit D. Thomas infra quæst. 7. art. 5. libertatem Dei cum ejus immutabilitate conciliare non valentes, eam negant, ac dixerunt Deum agere ex necessitate nature; ex quo Aristoteles intulit mundum esse æternum. Veram etiam in Deo libertatem negasse videntur Wiclef, Abailardus, Bucerus, & Calvinus, teste Bellarmino libro 3. de gratia & libero arbitrio, cap. 17. & 16. à quorum sententia, vel potius errore, non multum videtur recedere Aureolus in 1. dist. 40. art. 1. ubi docet libertatem esse tantum in Deo metaphoricè. Contra quem errorem militat in primis Scriptura pluribus in locis, in quibus libertas Deo attribuitur: dicitur enim Psalm. 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit: Psalm. 93. Deus ultionum liberè agit. Matth. 11. An non licet mihi quod volo facere?* & 1. ad Corinth. 12. dicitur de Spiritu sancto, *hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Quæ verba exponens D. Ambrosius libro 2. de fide cap. 3. dicit, *Spiritus sanctus dividit singulis prout vult: id est libero voluntati arbitrio, non necessitatis obsequio.* Denique hæc veritates confirmant omnia Scripturæ loca, in quibus Deus dicitur præstare misericordiam, preces nostras exaudire, mutare sententiam &c. Si enim ageret ex necessitate nature, neque misereri posset, neque precibus moveri, quia ageret ut determinatus ad unum.

**2** Naturalis etiam ratio sufficientia præbet principia ad libertatem Dei demonstrandam. Primum quia libertas est maxima perfectio, nullum includens defectum, & de numero earum, quæ simpliciter simplices, à Theologis nuncupantur. Utenim dicit D. Bernardus in Cantica: *Arbitrii liberæ est plane quid divinum, præfulgens in anima, tamquam gemma in auro:* Cum ergo Deus sit infinitè perfectus, omnesque perfectiones simpliciter simplices, formaliter in se contineat, est etiam perfectè liber.

**3** Secundo, Libertas est quoddam dominium vel in actus, vel in objecta: Sed Deo perfectum competit dominium, saltem in objecta volitas est enim omnino independens à creaturis: Ergo & perfectè libertas.

**4** Tertio, ut discurret Angelicus Doctor 1. contra Gent. cap. 8. 1. Voluntas non fertur necessario ad ea quæ sunt ad finem, si finis sine illis haberi possit; Medicus enim y. g. non necessitatur ea medicamenta adhibere, sine quibus æger sanari potest: Cum igitur divina bonitas, quæ sola est finis voluntatis divinæ, sine creaturis subsistat, & sit ab illis omnino independens, Deus est liberissimus circa creaturas.

**A** Quarto, Res procedunt à Deo sicut artificialia ab artifice: Sed artifex quamvis velit in se habere artem, non tamen ex necessitate vult artificialia producere: Ergo Deus similiter non vult creaturas ex necessitate, sed ex perfecta libertate creare.

**5** Quinto, Omnis natura intellectualis habet non solum voluntatem, sed etiam liberum arbitrium: Atqui Deus est nature intellectualis: Ergo in eo non solum est voluntas, sed etiam liberum arbitrium. Major hoc discursu suadetur. Natura intellectualis triplici gaudet universalitate & amplitudine, quæ carent alia natura rationis expertes. Prima est universalitas in essendo, quatenus per formas apprehensas, & per species intelligibiles, potest fieri omnia, & recipere naturas, & quidditates omnium rerum; non quidem in esse naturali & entitativo, sed intelligibili & representativo, ut in Tractatu de visione beata fusè declaravimus. Ex hac universalitate oritur altera, nempe in judicando, quatenus potest in omnem faciem vertere objecta, & considerare illa, ut sunt digna amore vel odio, & ut sibi necessaria, aut utilia, vel convenientia; ex qua nascitur tertia, quæ est in appetendo, ratione cujus potest velle vel nolle, eligere vel non eligere quæcumque bona particularia, quæ non habent cum summo & primario bono necessariam connexionem, & in hac tertia universalitate consistit formaliter ipsa libertas: Ergo omnis natura intellectualis habet non solum voluntatem, sed etiam liberum arbitrium. Ita discurret S. Doctor quæst. 23. de veritate art. 1. ubi probat Deum esse summè liberum, quia est in supremo gradu immaterialitatis, & colligit libertatem & indifferentiam in agendo, ex universalitate in essendo, & judicando.

**6** Denique, Perfecta Dei libertas in operando demonstrari potest aliâ ratione qua utitur idem S. Doctor 1. parte quæst. 42. art. 2. ubi ait: quod dupliciter tantum contingere potest quod aliquis effectus non sit coævus suo agenti, sed sit tempore posterior. Primo, si sit agens voluntarium, seu liberum, potest habere effectus posteriori tempore; quia sicut potest eligere agere vel non agere, ita & hoc vel illo tempore agere. Secundo, si sit agens naturale, contingere ei tantum potest, quod non habeat effectum sibi coævum, seu statim ex quo est, quia non habet virtutem completam ad agendum: Sed mundus non est coævus Deo ex hac posteriori ratione, ut constat: Ergo ex priori.

**7** Neque obest divinæ libertati impotentia ad peccandum, ut enim docet D. Thomas infra quæst. 62. art. 8. ad 3. posse peccare non pertinet ad essentiam, sed ad defectum libertatis. Unde Augustinus libro 22. de civit. cap. 3. *Certe Deus ipse, nunquid quia peccare non potest, idè liberum arbitrium habere negandus est?* Non requiritur etiam ad perfectam libertatem indifferentiam ad diversos actus (hæc enim dicit potentialitatem, nec stare potest cum divinæ voluntatis immutabilitate) sed sufficit indifferentia ad diversa objecta, quæ non habent necessariam connexionem cum primario objecto divinæ voluntatis, ut constabit ex dicendis articulo sequenti.

*Disp. 2. art. 1.*